

maiora consistunt¹⁾ crimina? O episcopum episcopo talia inferentem et ad hoc apostolicae sedis manu sacrato, et e²⁾ latere destinato! Nolumus tamen nunc exagitare quae gesseris, ne cogamur indifferenter promulgare, quod convenit. Verum Dei omnipotentis et beatorum principum apostolorum Petri et Pauli atque nostrae mediocritatis auctoritate interim communionem Christi misteriorum et consacerdotum tuorum te³⁾ privamus, et nisi cum presenti Paulo venerabili episcopo, vel cum eodem sanctissimo fratre nostro Methodio Romam cum ipso audiendus occurreris, non deerit iusta dampnatio, ubi talis et tanta fuerit inventa presumptio, nec pondus apostolice sedis auctoritatis frustrabitur, ubi tam gravis molis pravitatum immensitas conprobabitur’.

22. Annoni⁴⁾ episcopo Joh. VIII.

Soll, um sich über sein Verfahren gegen Methodius zu verantworten, vor dem September nach Rom kommen. — ‘Audacia tua et presumptio non solum nubes sed et ipsos⁵⁾ celos transcendit. Usurpasti enim tibi vices apostolice sedis et quasi patriarcha de archiepiscopo tibi iudicium vindicasti, immo quod est gravius, fratrem tuum Methodium archiepiscopum legatione apostolice sedis ad⁶⁾ gentes fungentem tyrannice magis, quam canonice tractans nec presbiterorum, qui penes te reperti sunt iudicasti dignum consensu, quod non nisi in contumeliam sedis apostolice perpetrasti. Quin etiam petente illo, sacris canonibus edocentibus, ipsius sancte Romane⁷⁾ sedis iudicium concedi minime permisisti, sed in eum cum sequacibus tuis et sociis quasi sententiam protulisti⁸⁾ et⁹⁾ a divinis celebrandis¹⁰⁾ officiis illum sequestrans carceri mancipasti. Insuper et cum proprium sancti Petri hominem esse te diceres, ut patrimonii in Germania siti curam gereres, istius fratris et coepiscopi, quin potius et missi nostri, de quo nobis maior cura debebatur, vincula et insecutiones non solum ut fidelis minime nunciasti, sed Rome cum¹¹⁾ super eo interrogareris a nostris, te illum nosse mentiendo negasti, cum cunctarum afflictionum sibi a vestratibus illatarum ipse incensor, ipse instigator immo ipse fueris auctor. De quibus omnibus nisi adeo fuerit eiusdem venerandi episcopi conditio¹²⁾ sana effecta, ut ipse possit omnem suam oblivioni propter Deum iniuriam tradere, Romam rationem redditurus indifferenter occurrere. Alioquin post mensem Septembrium tamdiu communicandi nullam habeas omnino licentiam, quamdiu non obediendo tuam erga nos ostenderis pertinaciam’.

1) ‘consistunt’ Hs. 2) ‘e’ fehlt Hs. Legaten e latere begegnen sonst J. 2533. 2534 (Register cp. 240. 241). 3) ‘te’ fehlt Hs. 4) ‘Anni’ Hs. ‘Anno’ v. Freising nach Gams 854–875. 5) ‘ipso’ Hs. 6) ‘ad’ Hs. 7) ‘Romane’ fehlt Hs. 8) ‘pertulisti’ Hs. 9) ‘et’ fehlt Hs. 10) ‘celebrandisque’ Hs. 11) ‘cum’ fehlt Hs. 12) ‘contricio’ Hs.